

[88:] Huic opponitur mors aeterna, quae est perpetua abiectio omnium damnatorum a Deo et animae ac corporis cruciatus nunquam finiendi.

Dic testimonium de hoc articulo.

Ioh. 3 inquit baptista: „Qui credit in Filium, habet vitam aeternam. Qui non obtemperat Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.“¹⁷¹ Ioh. 5 10: „Oues meae vocem meam audiunt et sequuntur me et ego vitam aeternam do eis.“¹⁷²

Cur postremo loco recitatur hic articulus?

Vt doceat, quis sit finis omnium bonorum seu quod sit summum et vltimum bonum, quod praecipue ab omnibus hominibus expetendum est, deinde, vt monstrat finallem causam creationis, redemptionis et sanctificationis nostrae, postremo, vt confirmet nos de immortalitate, quae discrimen facit inter homines et pecudes, et de fine seu cessatione omnium miseriarum, quibus mortalitatis vita est obnoxia. Non enim ad hanc vitam mortalem vt pe-[89:]cudes nec ad perpetuas miseras nati sumus, sed vt immortalitate et beatitudine aeterna fruamur, cuius nemo erit particeps, nisi in hac vita accensa in eo fuerint initia vitae aeternae.

Quomodo in hac vita inchoatur in nobis vita aeterna?

Vita aeterna inchoatur in nobis in hac vita, cum ex verbo patefacto agnoscimus Deum et acquiescimus in eius misericordia promissa propter Filium et cum corda sentiunt consolationem Spiritus sancti, qua simul accenditur noua^f lux, iustitia et laetitia, quae est gustus vitae aeternae.

^f Nicht in F, G.

¹⁷¹ Joh 3,36.

¹⁷² Joh 10,27f.